

quentis, ac 3. ostendentis seu demonstrantis justificationem. Et hæc ipsa tamen causa finalis, significat *bonum intentum*, non per indigentiam agentis principalis, sed per misericordiam & abundantiam bonitatis sese communicantis foràs sine suâ indigentia: unde hæc causa finalis agentem principalem movere non nisi impropriissime dici potest. Cùm ipsa in solidum libero beneplacito & abundantia bonitatis, ordinetur, moveatur, & constituatur per principalem.

2. Distinctio etiã adhibenda est, quod ad speciem operum. Non enim justificamur operibus legis; quia nulla sunt proprie: & quæ sibi quis persuadet esse, propter hanc ipsam falsam & superbam persuasionem peccata sunt. Opera autem quæ ex fide euangelii fiunt, aut subsequuntur justificationem; ut opera externa, & interne etiã dilectio, gaudium, &c. quæ sunt fructus ac finis

ju-